



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 66. Diversa hujus Pontificis diplomata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

§. LXVI.

*Diversa hujus Pontificis diplomata.*

*Bull. Const.*  
*17. & seq.*  
*pag. 553.*  
*Spond. hoc*  
*ann. n. 2.*  
*& 3.*

Præclara hæc opera Sixti Papæ animum non adeo distentum tenebant, quin non majori sollicitudine Ecclesiæ negotiis insudaret: hoc enim anno diploma edidit, quo Astrologiam judicariam illo ævo Romæ sat familiarem prohibuit, mandavitque, ne quicumque libri de magia, aut sortilegiis agentes legerentur, aut retinerentur: data est hæc Constitutio die quinta Januarii anno Pontificatus sui primo: cum vero quidam Nobiles insuperhabito Pontificis interdicto vanam, falsamque hanc scientiam profiterentur, ad triremes damnabantur, frustra deprecantibus quibusdam Cardinalibus, qui eos protegebant. Insuper Sixtus V. edita Constitutione die decima nona Januarii statuit, ut festum S. Antonii Lusitani de Patavio nuncupati, die decima tertia Mensis Junii cum duplici officio de cetero in Ecclesia celebraretur. Alia ejusdem Pontificis Constitutio existat, qua die decima quinta ejusdem Mensis innovabat indultum Capitulo sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ de Urbe concessum, eique dabat licentiam erigendi loca pia, accedente licentia Ordinariorum, quibus subjecta remaneant.

Itidem



Itidem die vigesima octava Januarii Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.  
 alio diplomate, ne Fratres Minores de  
 observantia ad Fratres Capuccinos tran-  
 sirent, prohibuit, indicta anathematis  
 poena, necnon privationis omnium di-  
 gnitatum, simulque declaravit, ejus-  
 modi transitus omnino irritos esse.  
 Præterea die trigesima Januarii per  
 aliam Constitutionem confirmavit, au-  
 xitque indulta, ac Indulgentias Rosa-  
 rii B. Mariæ Virginis, & Magistro Ge-  
 nerali, ac Vicario Ordinis S. Domini-  
 ci facultatem concessit erigendi Ca-  
 pellas, & instituendi Confraternitatem  
 Rosarii, pro quibus alias etiam gratias,  
 & indulgentias concedebat.

Die prima Februarii suo diplomate  
 decernebat, ut festivitas S. Januarii  
 Episcopi, & Martyris, ac Sociorum  
 ejus die decima nona Septembris sim-  
 plici officio celebretur: progressu au-  
 tem temporis Alexander VII. hoc fe-  
 stum ritu duplici coli præcepit. Deni-  
 que alia Constitutione die octava Fe-  
 bruarii statuit, ut *Pontificiæ*, prout vo-  
 cant, *Capellæ in Basilicis, ceterisque Al-  
 mæ Urbis Ecclesiis, Dominicis quadrage-  
 simæ, & Adventus, aliisque statis solemnibus diebus, celebrentur.*

Aliis insuper Constitutionibus idem  
 Pontifex quædam decernebat, & qui-  
 dem præprimis die decima septima Mar-  
 ti



**Sæcul. XVI.** tii statuit, ut Lauretanum oppidum Pro-  
A.C. 1586. vinciae Picenæ in civitatem sublevetur,  
 ejusque collegiata Ecclesia, in Cathedra-  
 lem, & Episcopalem erigatur.

Postea decima octava ejusdem Men-  
 sis per novum diploma approbat  
 Congregationem Clericorum Regularium  
 ministrantium infirmis, in Hospitalibus, &  
 extra degentibus Romæ nuper institutam,  
 eisque vestem, qua deinceps uteren-  
 tur, præscribebat.

Eadem die sua Constitutione Pii V.  
 Bullam innovans prohibuit, ne arces,  
 ceteraque Romanæ Ecclesiæ bona alie-  
 narentur: præterea die prima Aprilis  
 per aliam Bullam stabilitur annuorum  
 reddituum concessio Archiconfraternitati Be-  
 atæ Mariæ Virginis, Consalonis de Urbe  
 nuncupatæ, cum facultate ubique elemosy-  
 nas colligendi, ad Christianorum redemptio-  
 nem ab infidelium captivitate.

Alia Bulla die vigesima nona Mar-  
 tii moderabatur Constitutionem editam  
 a Pio V. quoad electionem Visitatoris gene-  
 ralis, & exemptionem Fratrum tertii Or-  
 dinis de Penitentia S. Francisci, a supe-  
 rioritate Ministrorum Provincialium Fra-  
 trum Minorum de observantia in Italia.

Præterea suo diplomate die prima  
 Aprilis Papa officium, & emolumenta  
 illius, qui ei a secretis erat, reforma-  
 bat: die autem decima tertia ejusdem  
 Mensis



Mensis novo diplomate statuit, ut festum *S. Petri Martyris duplici officio de cetero celebretur.* Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

Die vigesima secunda præfati Mensis Constitutionem edidit *de decies centenis millibus nummum aureorum in Arce sancti Angeli sepositis, quæ nullo unquam tempore, nisi in casibus per eandem bullam præscriptis, extrahantur: porro huic Constitutioni nomen suum apponebant triginta quatuor Cardinales, qui etiam jurata fide se hanc legem servaturos pollicebantur.*

§. LXVII.

*Fulienfis Congregatio a Pontifice confirmata.*

Sixtus V. cum Joannis Barrerii, qui Fuliensem Beatæ Virginis congregationem Ordinis Cisterciensium erexit, votis annuere vellet, novum hoc institutum die quinta Maji suo diplomate confirmabat, omnibusque, qui restauratam hanc disciplinam sub sancti Benedicti regula amplecterentur, concedit, *ut non solum ab esu carniū quibuscunque anni temporibus, etiam ab Ecclesia permissis, & a potu vini abstineant, sed etiam in laboribus, jejuniis, Orationibus, carnis maceratione, & mortificatione, aliisque pœnitentiæ operibus exercendis, strictiorem, & severiorem, quam reliqui*

*Bull. Const. 32. p. 576.*

Bb 2

Mona-